UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 313. Usque Ad Annum 361

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 90117778

§. 2. Ariani Constantium in suas partes trahunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-66022

Visual Library

Sæculum IV.
A. C. 337.

§. II.

Ariani Conſtantium in ſuas partes trahunt.

Socr. II. c. 2. Soz. III. c. 1. Amm. l. IV. c. 3. XXII. c. 3. Jul. ad Athenienſ. Theod. II. c. 3.

Conſtantio Imperatore indulgente, magna Palatii Evnuchis erat potentia; hos inter facile Princeps fuit Euſebius cubiculariorum Præfectus, vir ſtolide elatus, avarus, æqui contemptor, & crudelis; cœterum, obſcuro loco natum, eo usque fortuna evexerat, ut Imperatoris animo dominaretur. Hic Euſebius in Arii errores lapſus eſt, illo Presbytero perſuadente, quem Magnus Conſtantinus ſui teſtamenti Depoſitarium fecerat, & cui tanta Principis fiducia auctoritatem, &, quoties vellet, Regiam adeundi libertatem paraverat; quin etiam Imperatricis mentem ſua hæreſi infecit.

Athan. ad ſolit. p. 819. p. 834. p. 856.

Ipſe Imperator in dubium revocare cœpit, quid de hac nova opinione eſſet ſentiendum; jamque omnes in Palatio, fœminæ, Evnuchi, ipſi Regii corporis cuſtodes de hac fidei quæſtione diſputare; inde in privatas familias, tum in alias urbes, & tandem in remotiores etiam Provincias propagatum eſt malum; nam cum non ſine tumultu hæc quæſtio agitaretur, omnes, & ſinguli in quæſtionis materiam inquirebant, moxque ipſi diſputationi implicabantur; attamen Illyricum, & reliquæ Occidentis Regiones nullam

lam

lam in his diſceptationibus partem habuere, firmiter Synodi Nicænæ Decretis inhærentes. Tunc vero Euſebius Nicomedienſis, & Theognis magnas ſpes conceperunt, utque S. Athanaſio viam, & reditum Alexandriam præcluderent, alium ſuæ Sectæ Epiſcopum in illam Sedem intrudere ſtatuerunt.

Sæculum IV. A. C. 338.

Sozom. III. c. 1.

§. III.

S. Athanaſius revocatur.

Hoc illorum conſilium Conſtantinus junior Imperator ſubvertit, qui S. Athanaſium in ſuam Eccleſiam jam anno 338 remiſit cum epiſtola ad populum Catholicum Alexandrinum data, in qua dicit; S. Epiſcopum in Gallias miſſum fuiſſe, ut inimicorum ſuorum furori, & certæ morti eriperetur, Magni Conſtantini mentem fuiſſe, eum ſuæ Eccleſiæ reſtituere, ſed morte præventum non potuiſſe. Et ſubjungit: *ubi ergo Athanaſius ad vos pervenerit, quanto eum honore proſecuti fuerimus, cognoſcetis, nec id vobis mirum videatur, veſtra afflictio, qua ejus abſentiam dolebatis, nobis non ignota, & maximi viri apud nos verſantis reverentia ad eum colendum nos moverunt. Cæterum fratres chariſſimi Divinum vobiscum auxilium ſit! datum Treviris decimo quinto Calendas Julii*, id eſt, 17. Junii. Con-

Athan. ap. 2. p. 805. Theod. l. II. c. 2. V. Pagi ann. 338.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN